

ΟΡΗΝΩΔΙΑΙ

27

In præmaturum obitum

SCITISSIMI, IN-

DOLE GENEROSI, SPE AMPLIS-
simi Pueruli, IO NNIS VVENDIGHI, Filii
Clarissimi, Doctissimi, pietate præstantissimi Viri, Dn.
BASILII VV. SZEPSINI: Prædic natalis Chri-
sti *Iesus Χριστος* Anno M. D. XCVI. hora VII. mi-
nuta, ætatis anno IIII. animam ei qui dederat
reddentis, perq; *ευχραιστας* pulcher nam

ἀθανάσιος καὶ εὐδαίμων
adepti:

BENEVOLENTI

AMORIS DECLARANDI

ne, ab EMERICO Vyaly. Jo Barovie:
S. Debrecino, Vagari; horumque Amicis & Popu-
lari humanitatis defuncto, quod præstantissimum esse D.
brofius admonet, collaturis, Parentibus obsequium, studium
observantiam probaturis, mutuiq; gemitus ac
doloris argumentum edituris

SCRIPTAE

ANNO Aera Christianæ, .M. D. XCVII.

Mense Augusto.



VVITEBERGAE,

Ex Officina Cratoniana.

Tiszántúli Református Egyházkerület
Nagykönyvtára, Debrecen

RMK 407



Cilicet haud ulli parcit Lex ferrea Lethi:
Nox eadem cunctos atra diesq; manet:
Optima quæq; metit subitò, pulcherrima
quæq;

Interimit rigidâ Mors inopina manu,
Desine mirari, quid agat tot regna, tot urbes,
Tot validas pessum, mole ruente, domos.

Iure nimis merito tales exposcere pœnas
Ultorem stimulant Crimina nostra Deum.

Vnde sed in molli teneros ætate puellos,
Cælitibus quorum proxima vita viget;

Vnde patet tantum series immensa malorum?
Hereo. Dia mihi Calliopeia refer.

CVM Protoplastes Satanae pellectus ab astu,
Transgressus summi iussa verenda Patris,
Feralem veritâ carpisset ab arbore fructum:
Incidit in furias protinus ille Dei.

Qui simul horrendi vibrasse tonitrua fati,

Atq; Hominem miris increpuisse modis,
Dicitur: Inde adeò in subolem genus omne dolorum,
Inde perennantis fluxit origo mali.

Inde venenatæ rapuit contagia noxæ,
Serior (ò quanto constitit illa!) nepos.

Hinc pestes, hinc bella, fames, hinc mira laborum,
Hinc febrium terris incubuitq; cohors:

Quin & in innocuos furit hæc violentia partus :

Hæc miseri Patriæ præmia labis habent !

Fallor ? an ut primum vitalibus editus auris,

Materno Fœtus viscere profiliuit .

Hæc mala præagit tremulis vaporibus, atq;

Naturâ hæc tacitus fata docente videt :

Quàm plena ærumnis, quàm vita referta periclis,

Indiga quàm veri vita agitata Boni ?

Sic (puto) Nauta mari se commissurus iniquo,

Exhorrens scopulos & freta dira, gemit.

Hac toleranda tenus. Quid ? quòd subtegmina vitæ

Atropos huic inter, vix bene cæpta, secat.

TV quoq; lege pari dulcissime IANVLE Mortæ,

Blandule tuq; pari IANVLE lege jaces.

Heu nimium properè primo te sustulit ævo

Quæ nihil eximium Mors fuit esse diu.

Nil rosæ juvère genæ, nil candida vincens

Lilia te facies, par & in ore decus.

Quid referam ingenium teneris animosius annis ?

Quidve venustatem vocis, amande, tuæ ?

Quæis ô blanditiis solitus recreare Parentes,

Exhilarans varijs pectora mœsta modis ?

Cumq; bis ætatis binos exegeris annos :

Nil te uno potuit dulcius esse tamen.

Quò vigor ille abiit ? quò spes præclara recessit ?

Quò tecum volucer IANVLE fugit Amor ?

Quò

Quò mi Turtur abis, desideriumq̃ tuorum,

Deliciæ Matris deliciæq̃ Patris?

Mollis in irriguo vi Solis Amaracus horto

Quam citò languidulas ponit adusta comas:

Quamcitò purpureus presso succisus aratro

Flos jacet, aut Viola Vere tepente cadunt:

Tam citò rara tui demarcuit oris imago,

Tam subito facies emaciata tua est.

QVID queror? Hoc melius: voluit sic omnia præsens

Cujus ad arbitrium stantq̃ caduntq̃ Deus.

Ille prius dederat celesti munere vitam:

Cum lubnit rursum sustulit ille datam

Ac licet immaturus obis, dulcissime: Casus

Attulit inde tibi nil tamen iste mali:

Namq̃ laboriferi liber tot cladibus ævi

Perpetuâ frueris pace, metuq̃ vacas.

At nos heu nimium miseros infanda fatigant

Prælia, & adfiduò sors malefida rotat.

Hinc curæ, inde metus, hinc exitialia torquent

Funera, at hinc Patrij tetricus horror Agri.

Plura quid? Hæc nobis est vita perennis amaror,

Qui vè diu moveat vivere, nullus amor.

Noster amor mors est: mortem modò gloria cæli

Excipiat, quassæ portus & aura rati.

Ten' igitur lacrymis oneremus ad astra relatum

Chare Anime? ah non sic invida turba sumus.

A iij Nos

Nos heu, nos potiùs, nos nostraq̃ fata dolemus,
Et querimur miseras usq̃ redire vices.

Felix qui potuit tantos evadere motus,
Salvaq̃ matura vertere terga fugæ!

Quì ve procul visas potis evitare procellas,
Ne ferat in Syrtes vis violenta Noti.

Prodidit ut paries venturæ signa ruinae,
Quis non è sanis tam loca dira fugit?

Sed bene habet: Bene consuluit tibi IANVLE Christus

Pro te, pro mundo victima grata Patri.

Quàm mala tanta animo posses haurire, diesq̃
Terrificos oculis pænè notare tuis:

Antè his præceptum, Paradeisiacosq̃ recessus
Aeternæq̃ adytum iussit adire domus:

Huc ubi pro dubio rigidi certamine Martis
Pax augusta viget, proq̃ labore quies.

Læticia ancipiti pro sollicitudine perpes,
Vitaq̃ pro letho, proq̃ solo ipse polus.

Proq̃ bonis tibi jam superant mansura caducis,
Lux ibi pro tenebris: proq̃ Parente Deus.

Sanctorum veneranda cohors pro sanguine junctis,
Pro socijs volucris dia caterva chori.

Hic chorus ille sacer, qui te, dum vita manebat
Excubitu texit nocte dieq̃ suo.

Hic te defunctum mortalibus, ilicet alto
Thariade ad gremium sustulit usq̃ Patris.

O te felicem ter & amplius, oq̃ beatum
 Concilio superum, colloquioq̃ Dei.
 Quando erit illa dies qua me charosq̃ parentes
 Complexu excipies Ianule blande tuo?
 Sed breve restat iter nobis: quò rite peracto
 Iovà tibi astrigere junget in arce poli.

INterea ossa (precor) placida tua sede quiescant,
 Exuviasq̃ rosà culta parentet humus:
 Ambiat & cespes violis lauruq̃ decorus
 Molliter hunc tumultu quo tua tumba sita est.
 Donec summa dies terrarum affulserit oris,
 Exitiosa malis, leta futura pijs:
 Perq̃ sonum trepidas dabit extima buccina nubes
 Tergeminumq̃ orbis flamma resolvat opus.
 Tunc etenim tua membra, Deo tribuente, vicissim
 Accipient vivum glorificata decus.
 Tu salve eternumq̃ vale magni etheris heres
 Ianule, perpetuum rursus ave atq̃ vale.

Emericus K. Vifalvinus.

Allacrumatio Parentis super
 funus filioli.

ERgò iaces suboles nimium dilecta parentis
 Iane puer vitæ flore vigente tua,
 Ergò iaces mihi nec fiet post copia fandi
 Neve licet facie colloquiove frui?
 Ergò iaces tibi nec Mammâ pappare minutum
 Somniferos lalli nec petis ipse modos?

*Ante meos visus nec iam colludere gestis
 Aut mihi mellifluos fundis in aure sonos ?
 Scilicet ô durum patri, miserabile funus
 Hospitum gaudi reliquiae sui.
 Quis nisi sit saxum vultus cohibere fluorem
 Singultus oris vel retinere queat.
 Dum feretro cernit positum lacrumabile funus
 Dum videt Vnigenam morte iacere meum ?
 Vestibus atratis homines & adesse frequentes
 Funeris ut solvant exequiale decus.
 O quàm cordi vorus vexat mea pectora mœror
 Et iubet assiduos fundere mente sonos.
 Dum memini, quoties dixi, modo iuppiter annos
 Donet : Iane tuos qui exuperabis, eris :
 Dixi, sed votum rapuere per acra venti
 Stamina denigrans cum tibi rumpit Anus.
 Ergò te mentis solatia rapta vocabo
 Accentu validis ingeminabo modis :
 Iane decus patris, gentis spes, gloria Iane
 Nigras ante diem cogeris ire domos ?
 Cogeris ab dias tu linquere luminis oras
 Persephones spoliū de subitoq; fore ?
 Sed quid vanus ego tristes nunc fundo querelas
 Cum nullo precio vel prece liber eris.
 Damna vel illius querar immanissima Mortis
 Flectere quam nullus questus & ara potest.
 Imo ego luctu sonum titulum pro culmine cippi
 Ponam : qui mœstè commemorabit eum.
 Testatum faciet quam non lacrumabilis Vrna
 Obruat aeternum corpus inane suum,
 Hic Flos VVendegidum situs est, lactente iuventa
 Abluit in cunis sanguine Morta manus.*

Hic 1 G N 1 S patrius calidum cui corde vigorem
Exugit subito Mors truculenta suo.

Hic, qui Parcarum crudeli saucius ictu
Auclavit census ô Libitina tuos.

Tam decus omne suis, quam mox dolor omnibus idem
Funere raptus obit, nec crediturus abit

Spiritus at letis fruatur cœlestibus usq,
Angelici clanget dum tuba rauca chori.

Petrus S. Debrecinus.

V T domitis Cererem canis æstifer urit in arvis,
Aeolus effrænis populat violaria ventis,
Purpureos saltus, & amantes lilia valles,
Aureus Arctoïis fertur cum Phœbus in oris:
Eheu sic vario mortalia pectora Fato
Nescia Parcarum fraudis, metæq; laborum
Fortia nutantis donantia stamina vitæ
Sternuntur subito, stygio labefacta veneno.
Non fessis ætate, viris, heu, Marte feroci
Claris, formosis, pendentibus ubere natis,
Laxantur rigidæ Fatorum iuris habenæ
Vanida nec fuluo reparatur vita metallo,
Solvimur at cuncti, & metam properamus ad unam,
Primaq; defunctis nascetur stirpis origo.
Fata regunt sortes, voluuntur secula Fato.
Sic hæc (fama tulit) generosæ stirpis imago
Iane docent vestræ vestigia dulcia vitæ,
Quem dira, (infandum) traiecit pectora telo

B Alecto

Alecto tristi, & te funere mersit acerbo.
Pars melior rutili stellata palatia coeli
Scandit, & æthereâ plaudendo vespicitur aurâ
Membræq; terra foyet, funesto condita tecto.
Fundite Pannonicæ funebria carmina Nymphæ
Et querulis tenues onerate ululatus auras.
Rupta fides Fatis, lapsa est spes altera vatum.
Heu miseras hominum sortes heu pectora cœca!
Nusquam tuta domus, cœlestia suspice templa
Illic tranquillos sanctissima Numina portus
Dant, & sydereis ornant pia pectora donis.

Balthasar Baboltzai Baronius,

Παράφρασις

A D P A R E N T E M.

Docte Dei Vates, tristes iterare querelas
Desine, mœstitiæ, & signa tenere tue.
Nil dolor ille juvat, vestri post funera nati,
Sat fuit egroti congemuiffe vicem.
Pulcris stare diu Parcarum lege negatur.
Non valet informes forma movere Deas.
Pone modum lacrymis, siquidem tuus astra petiuit
Ianus: cœlestis Mens fuit ista Patris.
Mox erit, ut corpus quod jam mortale resumat,
Occurratq; oculis, carus, ut ante, tuis.
Pulchrior imò tuis oculis, nam morte vacabit,
Atq; erit ex animo libera vita metu.

Felix

Dum nova visceribus surgentia corpora terræ
Ante sui stabunt iudicis ora Dei.

Georgius Thurius.

Puerulus extinctus loquens
inducitur.

Terra ferax vini laetis & dives aristis
Me non optato fidere penè tulit.
Nam mea vix atas quartum comprehenderat annum
Cum prematuro funere raptus eram.
Gestarint quamvis ulnis me sæpè Sorores
Fila tamen vita mox rapuere mea.
Ferreæ nam Lachesis perreptans climata mundi
Ingratè nevit stamina pulla manu.
Mollia lethiferis morbis præcordia languent,
Præsentis vitæ qui remorantur iter.
Hæc ego quòd patior tristes charissima mater
Fœcundat lacrymis languida facta genas.
Cum dolor obtundit, tum blanda vocem nites.
Alloquor & labris talia verba fero:
Quod si etiam triplicem

MATRIS ET FILII.

- R Ore meos iterum repeto conspergere vultus,
 O decus, ô vitæ, spes generosa, meæ.
 Charus eras nobis, subito, lectissima PROLES,
 Cur properas? animo, corpore charus eras.
 F. Cunctos atra dies, & inexorabile fatum
 Aufert, meq; cupit rollere Parca ferox.
 M. Parca ferox? animo (heu) nequicquam talia volvi
 Peridum mystes (sic fore rebar) eris
 Atque leges patris docili vestigia passu
 Inque pio cresces, Nate, timore Dei.
 F. At pia iussa Patris, rerum cui summa potestas
 Me, GENITRIX, cœli ad testa beata vocant.
 Hic iustis tribuit vitam sine fine beatam,
 Et lacrymis madidas abluit ille genas.
 Illic tuta quies, fulgens Academia, Christus
 Doctor, ibi ad faciem cernitur ipse Deus.
 M. Maeste animo, MENTE Mq; tuam concede Tonanti,
 De fonte quiescat humi.
 De re, vitæ
 Revertatur, que beet.

Stephanus Decius,

Tiszántúli Református Egyházkerület
 Nagykönyvtára, Debrecen